



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XXXIV. Concessio Indulgentiarum pro Christi fidelibus Italiæ, & Insularum
adjacentium divinum auxilium implorantibus pro fælici electione Regis
Poloniæ, ac liberatione Cretæ à tyrannide, & armis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

Decretum irritans.

fectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplementum.

§. 5. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Angelo Procuratori Generali, & aliis ad quos pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid fecus super his à quaquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 16. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anno Piscatoris die 16. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno secundo.

XX XIV.

Concesso Indulgentiarum pro Christi fidelibus Italiae, & Insularum adjacentium divinum auxilium implorantibus pro felici electione Regis Poloniae, ac liberatione Cretæ à tyrannide, & armis communis hostis.

Edita A. D. 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Nuper Nos ad divinam opem in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus implorandam, in omnibus almæ Urbis nostræ Patriarchalibus, & Collegiatis, ac Parochialibus, & aliis quibusvis secularium, & regularium utriusque sexus Ecclesiis campanam majorem hora secunda noctis quotidie, à die prima currentis mensis Aprilis donec aliter ordinaverimus, per spatium octavæ partis horæ pulsari iussimus. Ac omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui durante sono campanæ hujusmodi flexis genibus, vel aliter prout valerent quinque orationem Dominicam, & salutationem Angelicam in honorem quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi devotè recitarent, ac divinam clementiam implorarent, ut quietam, ac communiter gratam, & acceptam, Ecclesiæque Dei utilem novi Regis Poloniae electionem benignè largiri, necnon Cretæ Regnum à tyrannide, & armis communis hostis liberare dignetur, singulis diebus quibus id agerent, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavimus. Insuper iisdem Christi fidelibus, qui præmissa per integrum quindecim dierum curriculum peragerent, ac in uno eorundem quindecim dierum verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, Sancti Marci Collegiatam, & Sancti Stanislai Nationis Polonorum Ecclesiæ Urbis prædictæ devotè visitarent, divinamque clementiam ibidem similiter implorarent, plenariam quolibet curriculo quindecim dierum, quibus id egissent, peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Quid faciendum præscribit.

§. 1. Nunc autem, quod fideliter petimus, validiori conjunctarum præcum intercessione ab Omnipotentis Dei misericordia impetremus, divinum auxilium in universa Italia, & Insulis illi adjacentibus

pariformiter invocari cupientes; Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiae, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus harum serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, campanas pariter diebus singulis per spatium octavæ partis horæ donec aliter ordinandum duxerint, in suarum respectivè Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum, tam secularium, quam regularium utriusque sexus Ecclesiis pulsari mandent, ac Ecclesiæ ut infra visitandas designent, seu designari curent.

Indulgentiam plenariam concedit.

§. 2. Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui durante sono campanarum hujusmodi quinque orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pariter recitaverint, divinamque clementiam ut supra imploraverint, quocumque die id egerint, similem pœnitentiarum relaxationem; Illis verò qui continuata per quindecim dies ejusmodi devotione, in uno eorundem quindecim dierum verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti Ecclesiæ per memoratos Ordinarios, & Prælatos, seu eorum Vicarios respectivè, si vè illorum jussu designandas devotè visitaverint, ibique divinam clementiam similiter imploraverint, plenariam itidem omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, quolibet curriculo quindecim dierum lucrificandam, concedimus pariter, & elargimur. Ceterum regularibus utriusque sexus in perpetua clausura viventibus, necnon aliis Christi fidelibus prædictis in carcere, vel corporis infirmitate, aliove quolibet impedimento detentis, qui Ecclesiæ ut præmittitur designatas, vel designandas visitare nequiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit quæ ipsi pœnitentes adimplere poterunt, concedimus similiter, & indulgemus.

Transumptorum fides.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 8. April.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 8. Aprilis 1669. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1669. Indictione septimâ, die verò decima mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ IX. Anno secundo, supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Matthiam Ricciardum Sanctiss. D. N. Papæ Curf.

Franciscus Perinus Mag. Curf.

Quod Religiosi cujuscumque Ordinis, & ubicumque sint, nullo sub prætextu audeant mercatuarum exercere.

XXXV.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1669.

Sollicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusa regi-

mini